



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione  
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Quomodo praebendati assistere choro, & recitare horas Canonicas  
teneantur, vt possint distributiones horis correspondentes lucrari. Punct. 4

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)



omnes clerici ad illud officium conveniant pro suo munere, & obligatione, ita vt qui fuerint deputati ad psallendum, conveniant ad psallendum, qui vero ad assistendum, & actum sua presentia concedendum, conveniant ad assistendum eo modo. Tridentina Synodus solum dicit compellendus esse praebandatos vt divina officia per se, & non per substitutos obeant, & Episcopo celebranti assistant, & interueniant, atque in choro ad psallendum inuitato hymnis, & canticis Dei nomine reuerenter, distincte, deuotèque laudent. Quae omnia non conuincunt obligatos esse Canonicos horas canere. Tum quia ibi nomine distictorum officiorum non horae Canonicae, sed Missa Euangelium, & Epistola; aliaque similia munera intelliguntur: si quidem de horis Canonicis postea subiungit, debere ad psallendum conuenire. Tum quia non per substitutos diuina officia obeant Canonici quando ex fundatione Ecclesiae, statuto, vel consuetudine signati sunt, qui canant, & qui assistant. Assistentes enim, & canentes nomine proprio sua munera exequentur. Item assistentes sua presentia, diuina officia per se obeant, & Deum reuerenter & deuotè laudent.

Adde, cum supradicta consuetudo contraria sit, cap. fin. 92. d. & Tridentini decreto, posse nihilominus aduersus illa praeualere, si sit legitime praescripta: quia nec reprobat à Tridentino, neque est iuri naturali contraria, vt rectè expendit Azor, lib. 10, cap. 11. q. 6. Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 522.

Imò non solum consuetudine, priuilegio, atque statuto induci potest Canonice satisfacere suae obligationi, si choro assistat priuatim recitans; sed etiam si absens à choro alium substituat, vt nomine ipsius assistat, & distributiones lucratur. Qui haec nullam turpitudinem continet, & potest pluribus causis honestari, si aliis relatis docet Bonacina disp. 2. de hor. can. q. 1. p. 5.

PUNCTUM IV.

Quomodo praebandati assistere choro, & recitare horas Canonicas teneantur, vt possint distributiones horis correspondentes lucrari.

- 1) Non desunt, qui affirmant, assistentem absque attentione lucrari.
- 2) Probabilis est debere attendere.
- 3) Quis de praebandatis obligatus ad canendum.
- 4) Quomodo suam partem recitare attendens ad eam, quae ab alio recitatur dimidiam partem fructuum lucratur secundum; probabilem sententiam.
- 5) Reputare probabilis nullas lucrari distributiones.
- 6) Si partem tuam canis, & aliorum, est procurator non percipias, lucraris.
- 7) Quis dicendum de versibus organo dictis.

1. Si de praebandatis obligatis tantum ad assistendum loquamur, non desunt Doctores, qui affirmant distributiones lucratos quomodocumque ibi assistant, etiam si non attendant, sed cum aliis loquantur, modo postea priuatim recitent, hoc enim semper supponitur. Sic docet alios referens Garzia de benef. 3. q. n. 14. & tradit Suarez lib. 4. cap. 14. a. num. 12. & ratio est: quia si verè assistunt est indebitè, Ergo lucratur distributiones assistentibus concessas. Item si non possunt dici abesse à choro. Ergo non possunt vt abentes distributionibus priuari. Adde in Concilio Lateran. & in constit. Pij V. distributionibus priuantur ij, qui priuatim non recitant etiam si choro assistent. Ergo & contrario si choro interfuerint corporaliter, & postea recitent priuatim distributionibus priuari non debent.

2. Nihilominus probabilis censetur hunc Canonice corporaliter assistentem, neque diuini officii attendentem, sed voluntarie distractum maxime scribendo, confabulando, vel dormiendo nullo modo distributiones lucrari. Sic Azor 1. p. lib. 10. cap. 11. q. 5. Petrus de Hedequina summa 2. p. 17. q. cap. 4. vlt. conclus. diff. 1. 1. & 2. Ludouicus Lopez instruct. conscientia 1. tom. cap. 24. Vega 1. p. sum. cap. 12. de casu 10 Manuel Rodrig. in summa 1. tom. cap. 245. num. 5. Raphael de la Torre, controuers. 10. disp. 7. q. 9. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 19. & 21. & Barbosa 3. de potest. in allegat. 53. num. 132. Ratio est, quia distributiones conceduntur ob presentiam, & assistentiam humanam, & honorariam cedentem in Dei cultum, & auctoritatem diuinorum officiorum: atqui voluntarie distractus est, ita vt ad officia diuina nequaquam attendat, nullatenus dici potest ipse moraliter, & humano modo praesens, ex lege coram Titio ff. de verb. significat. Ergo.

3. Quod si de praebandatis obligatis ad canendum sermo sit, dicendum est esse obligatos primò canere nec satisfacere si submissa voce recitent. Secundo, esse obligatos attendere ad ea, quae alius chorus canit: quia haec necessaria sunt, vt officium publice perficiatur alternatim, & vnus chorus cum alio communice. Sic Suarez lib. 4. de hor. can. cap. 12. n. 9. & 10. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 3. dub. 33. num. 184. Bonacina plures alios recitans disp. 1. de hor. canon. q. 3. punct. 2. §. 1. num. 17.

4. Difficultas autem est, An supradictus praebandatus submissa voce recitans suam partem, vel non recitans, sed solum attendens ad partem, quam alius chorus recitat, lucratur mediana partem distributionum?

Placet pluribus Doctoribus lucrari: quia dimidiatè officium suum exequitur, quatenus ad partem, quae alius chorus recitat attendit. Ergo accipere debet dimidium stipendium. Item dantur distributiones non solum pro cantu, sed etiam pro assistentia. Ergo qui assistit tam exequitur munus, cui aliqua pars stipendij responderet. Ergo lucratur illam. Sic Suarez lib. 4. cap. 12. num. 18. Petrus Nauarra lib. 1. de Restitut. cap. 2. n. 222. Cenedo collect. 1. §. ad 6. num. 6. Bonacina alios referens disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. n. 17. Neque obstat Constitutio Pij V. statuentis non lucrari fructus, & distributiones, qui, cum aliis choro assistit, non recitat. Responderi enim potest non lucrari integrè, sed dimidiatè. Secundo, non lucrari nec dimidiatè, si non recitet ibi, vel extra. Quia omittenti recitationem publicam, vel priuatam imponitur poena amissionis omnium fructuum.

5. Ceterum mihi haec doctrina difficilis est. Parum sane supradictum nullas distributiones lucrari. Quia distributiones non conceduntur is praebandatis ob assistentiam infrascriptam & mutam, sed ob assistentiam quae deseruit publicae recitationi. Item conceduntur publicè recitantibus, seu ob recitationem, quae fideles ad deuotionem excitare possit. Sed qui submissè recitat, vel non recitat, sed solum attendit ad ea, quae alius chorus recitat, publicè non recitat, & consequenter eius recitatio publica non est. Ergo non est digna vlla distributione. Quòd si dicas non esse dignam vlla distributione, quatenus ab ipso prodit, sed quatenus ab aliis oritur, & ipse attendit: quia secundum illam partem recitatio est publica, obstat, quia si ipse publicè non recitat, ita vt alij ipsum percipiant, non communicat cum aliis in recitatione, & exercitatione aliorum non fit vnus officium Canonicum publicum. Neque enim dici potest recitare officium Canonicum ille, qui alteros versus pronuntiat et omisit intermedius.

6. Sed quid si tuam partem caneres, & percipere non posses, quam alius chorus canit, satisfaceretne obligationi chori, vt posses distributiones integras percipere?

Respondeo te satisfacere, posseque distributiones recipere modo postea priuatim supplicas, quae non percipisti: quia per te non stetit quominus perciperes, & cum aliis in recitatione communicares. Sic Nauarra de orat. cap. 11. num. 41. Monet de distribut. 2. p. quæst. 2. num. 47. Suarez lib. 4. cap. 30. n. 15. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 20. Quod autem debeas priuatim supplere, quae non percipisti conuincit haec ratio: quia partem, quam non percipis, non potes dici recitasse; quia sola perceptione, seu auditione, tuam efficere potes: at non recitans officium diuinum priuatim omnibus distributionibus etiam, si choro interfit ex Bulla Pij V. Ergo.

Quocirca non approbo, quod Emanuel Saa verbo Hora, n. 9. affirmat, hunc non esse obligatum priuatim supplere: quia contrarium ex ratione superius dicta colligitur, & notauit Bonacina cum aliis supra n. 20.

7. Hinc à fortiori inferitur versus, qui organo, seu musico instrumento dicuntur debere ab aliquo pronuntari, aliàs non satisfaciunt obligationi recitandi officium, nisi, vel eos versus pronunties, vel audias, etiam si obligationi chori facias satis: quia pulsatio organi, seu musici instrumenti non est recitatio. Sic Suarez cap. 14. num. 15. Bonacin. alios referens disp. 1. q. 3. punct. 2. num. 12.

Secundò infero, si dum alij recitant, tu choro ex officio, vel superioris mandato intertis, praebandato ihus, transferendo libros ex vna in aliam partem satisfacere obligationi, & assistentiae in choro; debere tamen priuatim postea recitare, si ob illa munera à recitatione tuae parit, & ab attentione alterius impediaris. Sic Valquez de benef. cap. 4. §. 1. dub. 6. numer. 111. Bonacina de hor. can. q. 3. punct. 2. n. 13.

Tertio infero Canonicos poenitentiariorum, qui dum officia diuina celebrantur, audiunt confessiones, & Decanum, alioque Canonicos qui ex proprio officio aliis ministeriis incumbunt, satisfacere sufficientes obligationi choro assistendi: quia reputantur vt praesentes, et si priuatae recitationi non faciant satis. Sic alios relatis docet Bonacina num. 14. & colligitur ex Trident. sess. 2. cap. 3. de Reformatione.

PUNCTUM V.

Quo ordine, quo tempore, quo loco, & quo corporis habitu, & situ horae Canonicae sint publicè celebrandae.

1. Seruandus est ordo, & tempus ab Ecclesia praescriptum.
2. Locus non est alius ab Ecclesia.
3. Sedere in proprio stallo, & vestes Canonicales ferre, non est necessarium: ex vi iuris communis, secus esse potest ex consuetudine.

STRA  
BLAO  
TOM,  
C III.